Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 369
Quelle:
Copyright:

ampliſſ. T. IX. p. 1095. et in *Bibl. med. Lat. Fabricii L.* III. p. 447. leguntur. Initium nobis ſic:

Incipit inuentum, confertque prouerbia centum.

Pax Haynrico dei amico. Sed et alia ab Exemplo *Fabricii* variant. Ita *Proverb.* 5. nobis: *Plus vincit ſenſus, quam multiplex cenſus.* Fabric. *Plus unicus ſenſus, quam multiplex cenſus. Prov.* 10. nobis: *Bene credit, qui opus bonum impleuit.* Fabric. *Bene credit, qui neminem laedit.* &c. Stes tamen a *Fabricio.*

IX. *fol.* 113. *Henrici Septimellenſis* dicti *Pauperis* Poema de diverſitate Fortunae, plenius indicatum *Cod.* DCCCCLXII. hic vero a Commentatore quodam ſat imperito, qui margines notulis adſperſit, inſcriptum: *Liber Henrici Imperatoris de Fortuna;* ut enim L. II. verſibus illis:

Nuper alamannus ſiculam delatus in oram
Ludendo ferizam perdidit ipſe ſuam &c.

Henricus VI. Imp. petatur, reliqua Poematis ne obtorto quidem collo ad illum trahi queunt. Diſtichon ult.

Vivus et extinctus te ſemper amabo, ſed eſſet
Viuentis melior quam morientis amor.

cui ſubditum:

Finis adeſt mente vobis iam dico ualete.
Explicit henrici libellus ore felici.

Variantes Lectiones non deſunt, ſi quis *Codicem* cum *Lyſeri* edit. in *Hiſt. Poet.* p. 453. contendat.

X. *fol.* 130. *Incipit Prologus in libellum qui intitulatur Viridarium amoris et amicicie.* Allegoria eſt verſu hexametro a Monacho quodam ad Amicos ſcripta. Initium Prologi:

Sume ſalutis ave. pergens o parue libelle
Ad magne ſocios fidei dominos et amicos &c.

Initium ipſius Viridarii:

Stat maris in medio tellus velut inſula. forme
Difformis. niſi tam formoſus in hac foret ortus
Ortus amicicie: ſincerus et ortus amoris &c.